

ac diocesana gratiosius dignaremur. Nos vero Johannes episcopus — oblationem huiusmodi ratam et gratam habentes census et redditus altari praememorato addimus unimus etc., altare quoque praenarratum in beneficium ecclesiasticum erigimus etc. Altarista vero sive minister ipsius altaris ad quatuor missas mane circa solis ortum, unam diebus dominicis alias vero tres feriatis diebus legendas in perpetuum stabit obligatus. Volumus etiam quotienscunque census praelibatos iuxta contractus naturam in toto vel in parte quovis tempore futuro reemi contingat, quod extunc ipse altarista sive successores de scitu voluntate et consensu collatorum suorum absque ulla pecuniae capitalis distractione alios census in locum praedictorum censuum comparare debet — Datum in castro nostro episcopali Stolpin anno domini millesimo quadringentesimo nono die Jovis prima Octobris maiori nostro sigillo in fidem et testimonium praemissorum praesentibus subappenso.

Nach dem Original im Rathesarchiv zu Dresden. Das Siegel ist abhanden gekommen.

No. 241. 1449. 28. Nov.

*Bischof Johann von Meissen bestätigt die Stiftung des Altars des h. Antonius in der h. Kreuzcapelle.*

Johannes dei gratia episcopus Misnensis ad perpetuam rei memoriam. Cum nedum iure divino etc. Sane — per quosdam diocesis nostrae verbi dei diligentes auditores bonique communis ferventes zelatores annuos quosdam census et redditus, videlicet sex sexagenas grossorum in praetorio opidi Dresdin, duas sexagenas grossorum super bonis Vincenti Romchin, duas sexagenas grossorum in bonis Francisci Chope, unam sexagenam in bonis Andreae Caphan, unam sexagenam in bonis Michaelis Rabenaw et duas sexagenas grossorum in bonis Barbarae uxoris Urbani Leffeler, post mortem tamen eiusdem Barbarae iusto reemptionis titulo ibidem in Dresden comparatos, nobis — obtulerunt obnixius supplicantes, quatenus omnes et singulos praedictos census annuos atque redditus ad altare sub titulo et honore sancti Anthonii in cappella sanctae Crucis ibidem de novo erectum atque aedificatum pro uno praedicatori inibi verbum dei cum diligentia maiori seminare debenti pro manuali tamen officio et beneficio assignare eosque ecclesiasticos in antea fore debere declarare atque confirmare gratiosius dignaremur. Nos itaque Johannes episcopus antedictus, qui ultra officium pastorale nobis ex alto commissum verum etiam ex gradu doctorali in sacra theoloyca scientia, ad quem<sup>1)</sup> licet immeriti sumus evocati, zelum animarum et salutem populorum nobis subiectorum inspicere fidemque orthodoxam — firmare atque radicare possibiliter debemus —, omnes census et redditus annuos praenominatos praedicto altari sancti Anthonii appropriamus — et pro officio et beneficio manuali — confirmamus per praesentes, sic videlicet quod praedicator pro tempore existens per plebanum in Dresdin aut alium vices suas gerentem assumptus fructum horum omnium censuum huiusmodi et reddituum habeat eo dumtaxat tempore et sub et in hiis terminis quibus praedicator fuerit et officium praedicationis sibi per plebanum aut eius vices gerentem assignatum fuerit, unoque praedicatori licentiato aut ex causis vel aliis

1) Orig. quae.